



# BREVES ADNOTATIONES

super Decreto , quod nuperimē  
editum est in Causa Vener. Sor.

MARIAE A JESU DE AGREDA.



**U**T beneficia omnia , & quidēm gravissima , quæ ex novissimo  
mox dicto Decreto proficiuntur , satis , & penitus percis-  
piantur , tria possunt , ac debent considerari :

I. Cursus Causæ.

II. Doctrina.

III. Auctor.

Quod spectat ad cursum Causæ : In vim Decretorum Urbanii  
VIII. & Praxis Sacrae Rituum Congregationis in omnibus omnino  
Beatificationis , & Canonizationis Causis inviolabiliter servata ,  
nec Apostolici Processus confici , nec dubium super Virtutibus pro-  
poni potest , nisi prius omnia illius Seivi , aut Servæ Dei , de qui-  
bus agitur , scripta discussa sint , & approbata . In praesenti Causa è  
contra , etiamsi examen Mysticæ Civitatis nondum absolutum , &  
aliorum Ven. Mariæ de Agreda scriptorum non adhuc incepit  
sit : tamen Processus Apostolici , tam in genere super fama sancti-  
tatis , quam in specie super Virtutibus , & Miraculis confici pos-  
sunt , necnon discuti eorum validitas , ac relevantia , extrahi ex eis  
præviè opportunæ animadversiones , iisque responderi , ac dubium  
denique super Virtutibus , tam in Antipræparatoria , quam in Prä-  
paratoria , ut dicitur , Congregatione proponi .

Quod respicit doctrinam . 1. Ne unum quidēm verbulum con-  
tra eam , tam in Litteris , quam in Decreto profertur . 2. Laudan-  
tur Responsiones , quas nos dedimus novissimis acerrimis animada-  
versionibus , quas Reverendissimus Fidei Promotor , aliquique Cen-  
sores contra doctrinam Mysticæ Civitatis exararunt . 3. Quia doc-  
trina hæc teterimis observationibns à P. Amor fuit impetita , &  
à P. Didaco Gonzalez Matheo argumentis solidissimis vindicata  
hic , & non ille Docti titulo à Summo Pontifice decoratur . 4. Li-  
cet approbatio doctrina non fuerit exprefse definita , plusquam ra-  
ciale tamen decreta est : prout satissuperque declarant yerba illa


N.

*Nisi prævio iterato NOVO definitivo Decreto. §. Tandem quia à  
quæ pluribus, qui huic doctrinæ infessissimi sunt, ejusdem doctrinæ  
examen, & judicium ad Sacrae Inquisitionis Tribunal spectare  
contendit, ne unquam ejusmodi infessissimi homines voti sui  
comptos fiant, & Cause gravamen hoc inferatur, judicium, &  
examen a solo Summo Pontifice fieri debere decernitur verbis  
illis: A Nobis, aut à nostris Successoribus edendo.*

Quod tandem pertinet ad Auctorem, si absolute decretum  
fuisse: *Non constare Opus Mystica Civitatis esse Servæ Dei Mariae à  
Jesu de Agreda*; gravissimum fateor huic Operi dampnum illatum  
esset; tanti enim Oraculo Pontificis nimis fuisse confirmatum du-  
biū illud, quod tam malis artibus à dœmone potius, quam ab  
homine in universa Europa disseminatum est. At quando dicitur à  
Sede Apostolica non constare ex eo quod probationes omnes, quæ  
deducuntur facile possunt, non adhuc deductæ sint: *Ex hactenùs de-  
ductis*; declarando ulterius, quod probationes deductæ ideo ad-  
huc non sunt prout oportet, inconcusa, quia sumus in casu exae-  
minis, quod sit ad effectum Beatificationis, & Canonizationis  
prout oportet, *in casu, & ad effectum, de quo agitur*: in quo asu-  
nullæ, quæ fieri possunt, diligentiae à Sede Apostolica omittuntur  
ad obstruendum loquentium iniqua: nemo est, qui non  
videat, tantum abesse, ut ejusmodi Decretum noceat Operi, ut  
illi perquam maximè prosit. Deductis enim probationibus, quæ à  
Sede Apostolica prescribuntur, statim ex Decreto ipsius Apostoli-  
ca Sedis constabit Opus hoc esse Servæ Dei, & statim per conse-  
quens profligabitur dubium illud, de quo suprà diximus, adeò esse  
Operi perniciosum. Quod quidem, ut patet, est beneficiorum om-  
nium maximum; doctrina enim tam pura est, ac tam solida, ut ipsa  
se, nemine defendant, tueatur; at non ita Auctor, contra quem  
exortum dubium solo Apostolica Sedis Decreto potest evanescer-  
e. Profligato vero ejusmodi dubio, & Virtutibus Servæ Dei in  
gradu heroyco de more demonstratis, quis est, qui non videat tan-  
tum Operi splendorem accedere, ut ex ipso potuerit Pontificio  
Decreto Divinum illud esse, & non humanum inferri? Fatentur  
omnes Opus hoc neque esse à dœmone, neque à Serva Dei ex pu-  
ris viribus naturæ: ergo vel à Deo, vel ab homine. *Constito esse*  
*Servæ Dei*, constat non esse ab homine; ergo à Deo,



el



REPUBLICA  
CANT. PASI  
TALES.

AYUNTAMIENTO

DE MURCIA

ARCHIVO

EST<sup>E</sup>

11

TAB<sup>A</sup>

A

N.<sup>o</sup>

16